

detur, et fortassis in *Caussa Coloniensi* seruiit. Non negliget haec, si quis olim ad *Baluzianam* Editionem spicas legerit.

CCCCXLI.

R. 83 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 204. f. per duas columnas splendide exaratus, literis initiorum cubitalibus picturatis, passimque coloribus distinctus, et quondam *S. Seuerini de Neapoli*, ut in summa ora pag. 1. notatur, hunc titulum miniatum praefert: *Incipit prologus origenis pluriumque doctorum in canticum canticorum Salomonis*. Initium: *Notandum in primis. Quod in hoc libro Oscula Vera Gene femora ponuntur. In quibus uerbis non est irridenda, sed ueneranda sacra descriptio*. Subjicitur rubro: *Explicit prologus. Incipit Sirasrin id est. Canticum canticorum. Salomonis. Vox ecclesie*. Indicavi Catenam hanc nexam ex Origene, Grego-

rio *M. Iusto* Ep. *Urgellitano* et *Anonymo* e Codice minus bene seruato, a quo tamen praefens Exemplum non semel discrepat. Ita statim in principio Versus I. *Osculetur me &c.* ibi exponitur ex *Origenis Comment.* priore ab *Hieronymo* uerbo, qui legitur *Origenis Opp.* Edit. *Maur.* T. III. *Paris.* 1740. p. 12. f. et *Hier. Opp.* Edit. *Vallars.* T. III. col. 501. et incipit: *Osculetur &c. Vox est sinagoge. aduentum christi desiderantis et inprecantis. Quasi dicat. Quo usque sponsus meus. mittit michi oscula per moysen &c.* In praefenti uero Exemplo Expositio *Origenis* tertia est, et eam praecedat Expositio *Anonymi*, et *Gregorii* e *L. Moraliu* XIII. Expositio porro *Anonymi* sic inquit: *Cum enim dominum deum omnipotentem ut osculo oris sui te osculetur rogas, ut filium suum unigenitum de uirgine incarnari faciat rogas &c.* Atque in hac Expositione libenter uidi citari uersus:

Quem sitio uotis. nunc oscula porrigat oris.

Quem dudum (mihi) uenturum prompserunt organa uatum.

Nunc ipse (et) per se et praesens dignetur adesse.

Oscula prebendo. sua dulcia uerba loquendo.

qui sunt carpti e *Paraphrasi metrica Canticorum Willeramii* nostri Abb. *Ebersberg.* in *Bajoaria* Sec. XI. Unde fieri possit, ut Vir hic suis in *Cantica* laboribus lat. et theotisc. de quibus *Volum.* priori egi, *Catenam* istam tanquam *συμ-βολην*, adjecerit. Variat illa ab Exemplo ex alio Codice cit. etiam in fine; ita enim concludit: *Que*

felicitas illis conceditur. qui contemptu terrestrium. et gaudiorum appetitu caelestium. appellari spiritualium montes aromatum merentur. Ipso prestante qui uiuit et regnat &c.

II. fol. 76. p. 2. sequitur: *Sermo domni Benedicti monachi de compunctione lacrimarum.* Initium: *Karissimi fratres. si agnoscimus miseriam*

*seriam nostram. si intelligimus captiuitatem nostram. dicamus singuli domino. dicamus omnes: Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro &c. Finis: Hec autem omnia ipse nobis sua pietate concedere dignetur. cuius regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen. Si quid coniectandum foret, in *Benedictum* seu *Guaiferium Casnensem* innuerem, de quo, ejusque Scriptis Sec. XI. reliquis *Petrus Diac. de Vir. illustr. Casn.* c. 29. ejusque Commentator *Joh. B. Marus*, quamvis hujus *Sermonis* nostri non distincte meminere. Adjecit ei Librarius Particulam quandam *de Patientia*, et *Quindecim* nota illa *Signa futura ante diem iudicij*.*

III. fol. 79. *Expositio domni Bernardi Clareuallensis abbatis super canticum canticorum*. Sunt XXIII. primi Sermones. *Incipit sermo primus de titulo eius*. Hunc Librarius distinxit in duos. Prior rite incipit: *Vobis fratres alia quam alijs de seculo &c.* Alter vero ab iis verbis: *Incipiunt Cantica Canticorum Salomonis. Observa in primis pacifici nomen &c.* quae in Edit. *Maur. T. III. col. 1268.* inuenit n. 6. *Serm. I.* Lectio cum Editis probe consentit. In Coenobio, in quo scriptus est *Codex* hic, fortasse nondum nati erant *Sermones* sequentes, cum hi, qui adsunt, exarati fuerint anno 21. post *Bernardi* mortem, ut infra patebit.

IV. fol. 137. *Incipit epistola Domni Bernardi clareuallensis abbatis. ad domnum Henricum Senonensem archiepiscopum missa*. Est

Opusculum in Edit. cit. T. II. col. 461. inscriptum *De Moribus et Officio Episcoporum*. Init: *Domino Suo Venerabili Henrico Senonensi archiepiscopo. Frater Bernardus. Si quid potest peccatoris oratio. Placuit prestantiæ uestre &c.* In Edit. diuisum in IX. *Capita* nobis tantum duas rubricas praefert; post verba enim: *puerilibus agi secularibusve consilijs*, legitur: *Explicet epistola. Incipit sermo ejusdem*, et post verba: *et conscientia bona et fide non ficta*, habetur: *De puritate*. Exciderunt autem membranae ab verbis: *Metuit nimirum si aliter egerit, ne forte audiat ab — —*. quae in Editis occurrunt circa finem C. 5. col. 469. *Lectio*es quaedam sub ingressum non aspernandae videntur. Ita *terret exaggeratio pro exactio. Quantis putas periculis pro putatis. Si ego latens pro ergo latens. solus timori atque periculo pro oneri atque periculo &c.* Sunt tamen et menda manifesta in Codice.

V. fol. nunc 143. exciderunt enim, ut jam monui, membranae, *Συλλογη* IV. *Expositionum Orationis Dominicae*, quarum 1) initio trunca nunc in *Petitione tertia* ita infit: *eo quod sibi placeat. ut omnes saluentur. Secundum hanc itaque dicimus. fiat uoluntas tua. sicut in celo et in terra. Hoc est mente tibi placeamus et corpore &c.* 2) inscribitur: *Item Aliter*, et incipit: *Pater noster qui es in celis. Non precepit ut diceremus deus uel domine &c.* 3) inscribitur: *Aliter*, et incipit: *Pater noster qui es in celis. Valumus fratres karissimi par-*
uam

uam uobis ammonitionem de oratione dominica facere, quam rogo ut intentis auribus audiatis. Dominus enim noster ihesus christus pro salute nostra in terras descendere dignatus est &c. 4) incipit: Pater noster qui es in cælis. Vniuersas orationum species absque ingenti cordis atque animæ puritate. et illuminatione sancti spiritus arbitrari comprehendendi non posse &c. Atque haec sola nomen autoris praefert *Abbatis Isaac*, legiturque in *Collationib. PP. Joh. Cassiani, Collat. IX. in Biblioth. etiam PP. Lugd. T. VII. p. 156.* abrumpitur autem in *Codice* his c. 28. verbis: uelut degeneres priuet et iram nos fa—
— Ceterum omnes frugi sunt.

VI. fol. nunc 151. *Lexionarium* ob membranas excisas ἀνεφαλον, et primum quidem *Historia duplex de S. Constantio*, quem quidam nullo nixi fundamento Patriarcham *CPolitanum* pronuntiauerunt. Priore narratur, qua ratione *Caprearum* Insula ab eo contra *Sarracenorum* maris *Tyrrheni* litora infestantium inuasionem protecta fuerit. Nominantur in ea ad Geographiam mediæ aevi *Malitum*, *Reginna* major et *Reginniculae*, *Pausitanum*, Homines *Lauritani*, *Gallus* insula, *Stauis*, *Rubiliana* insula, *Giron*. Refertur, quomodo comparuerit *Vetulae Capreis* dicens: *Ne timeas, quoniam non veniunt hic sarraceni*, cumque interrogaret illa: *Qui uos estis domini mei?* responderit: *Nos sumus Constantius et Seuerinus habitatores istius insule.* Corpore uidelicet, quamuis et *Massa Lubrens* in op.
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

posito continente idem corpus sibi vindicet, et *Beneuenti* etiam *Constantio* huic cultus exhibeatur. Vide, quae in hanc rem adnotarunt *Philip. Ferrarius* in *Catal. SS. Italiae* ad 14. *Maji*. p. 281. *Bollandiani* ad eand. diem T. III. p. 374. *Ughellus Ital. sacr.* ad *Episcopatum Capritan.* T. VII. p. 256. Adhortatur sub finem *Scriptor noster*: *Nos ergo dilectissimi fratres laudantes et benedicentes deum concurramus omnes ad beati constantij preclaram festiuitatem &c.* et demum adjicit: *Anno uidelicet dominice incarnationis nungentesimo nonagesimo primo* (*Ferrar. suprac. e Monum. Eccl. Beneuent. a. 891.*) *die uicesima secunda mensis iulij. indictione quarta* (*Errarunt igitur Beneuentana*) *uenerunt amalfiam nauidia sarracenorum predicta.* Altera *Historia* pariter in *Lexiones* diuisa inscribitur minio: *De transitu S. constantij*, et incipit: *Santissimus pater noster constantius dum in orientali plaga fungeretur presulatus officio — in occidentem est propter durissimam destinatus heresim. partes.* Ex orientali plaga natus fortassis est *CPolitanus* ejus *Episcopatus*. Quae uero *durissima* illa *haeresis*, cum ejus aetatem non teneamus? *Commemorata felici* ejus in agro *Domini* opera, pergit: *Sed cum deus dignum illum posse preuideret esse alicui genti solacium. exercuit ut caprea insula omni iuuamine sprete. hoc diadema suo uertici stringeret totum. Peragrante denique illo maritimum callem. praefatam occidentem deuertit casu in insulam. Ibiq. languore*
Uuu cor-

corruptus. ad extremum usque per-
ductus. animam quam a suo condi-
tore acceperat. integram atque in-
lesam restituit. Tunc eiusdem loci
accole — eius in honore construen-
tes basilicam. sacrum corpusculum
illius condiderunt. Mox ad ejus mi-
racula vertitur Narrator; prae-
mittit tamen: *Capreae insulae quae
sunt contra neapolim site. a capreo
qui in regionibus his potens fuit.
uocabula sumpserunt. In his sequenti
tempore telonam martis filium. cuius
monumentum ostendunt. regnasse
dicunt. Cuius filius ebalus nomi-
ne. non contentus patris imperio.
egressus in continenti latius impera-
uit. Hunc uirgilius nutritum a flu-
minis ipsius nimpha dicit. quod in
his locis hoc est iuxta neapolim cur-
rit et sebethus dicitur. Dicitur et
alio nomine rubeolus. De Tiberio
nihil. Miracula porro sunt de Ju-
uene Puellam a se uitiatam ne-
gante cremato, de Janua Templi
restituta pro ea, quam Saraceni
abstulerant, de Captivis catena-
rum nexu solutis, de Insula contra
Saracenos protecta, ut *Historia
superiore*, adfirmato iterum an-
no 991. et Piratarum duce *Boa-
lim* adpellato. Narrat demum,
Constantio duos fuisse carissimos
discipulos *Sergium* et *Georgium*,
eumque praecepisse, ut post obi-
tum eodem tumulo unus a dextra,
alter a sinistra ejus conderetur;
fuisse uero *Hominem Beneventa-
num* nobilem et diuitem, qui ve-
nerit *Capreas*, ut corpus *Constan-
tini* furtim sublegeret. Atque hic
alteriora rursus excidere, ut adeo
priori *Historiae* initium, posteriori*

finis desit; uberiora tamen hinc
colligas, quam quidem Scriptori-
bus supra citatis nota fuisse viden-
tur.

VII. fol. nunc 157. ob Mem-
branas deperditas ingressu mutilo
Narratio de *Imagine Christi Ser-
uatoris* a Graecis dicti τὸ Ἀντι-
φωτισ, quam *Theodorus* quidam
mercator infelix *Abrahamo He-
braeo* pecuniae mutuo acceptae va-
dem dedit, rebusque prospere re-
cuperatis Monachus factus est,
Hebraeo illo pariter conuerso,
quin sacerdotio initiato. Ex ingres-
su pauca supersunt. Narratio ip-
sa incipit: *Post ascensionem sal-
uatoris nostri ihesu christi &c.* Et
propior: *Fuit quidam uir tem-
poribus heraclij pijsissimi imperato-
ris &c.* Plura non addo; extat e-
nim e *Cod. Regio Paris.* edita
graece et lat. a *Franc. Combefisso*
cum *Hist. Haeresis Monothelit.* et
aliis Opusculis, *Paris.* 1648. p.
611. f. At Versio nostra saltem
XII. Seculi est.

VIII. fol. 164. p. 2. *Incipit ui-
ta uel obitum Beati iohannis qui
cognominatur caluitta. Celebratur
autem et legitur quinta decima die
intrante mense Januario.* Initium:
*Tirannica quodam modo est causa
genitorum amor et obligatio naturae
indissolubilis &c.* Finis: *Et factum
est ita ut arbores sequerentur fru-
ctum. In gloria dei et patris &c.*
In *Actis SS. T. I. Jan.* p. 1031. e
graeo *Codice Vatic.* uersa parum
uariat

IX. fol. 172. *Incipit miraculum
beati georgij martiris.* Initium:
*Fratres karissimi. intentis auribus
audite*

audite magnum miraculum quod fecit deus per sanctissimum martirem suum georgium &c. Et quale illud? E Graeculorum videlicet officina de Filia Imperatoris Leuisii in civitate Ista a Dracone, qui jam omnis populi filios devoraverat, liberata, cujus exemplum graecum invenere Bollandiani in Bibl. Ambrosiana, et explodunt T. III. Apr. p. 104. ut commentum Sec. primum XI. Occidenti illatum, et divulgatum a Pictoribus.

X. fol. 174. p. 2. Incipit prologus de obitu beati Nicolai archiepiscopi. Legitur die depositionis eius. Initium: Quoniam quidem karissimi fratres. bonae memoriae iohannes subdiaconus sanctae parthenopenensis ecclesiae. qui vitam sancti patris nikolai interpretatus est manifestat. non se potuisse inuenire obitum eius propterea intermisisset. Et non est mirum. cum in italia interpretatus esset. Vnde ego infimus iohannes presbyter et monachus. cum in urbe constantinopolitana manerem. sancti patris ductus amore. quesivi et inueni. et non in qualibuscunque scidulis. sed in archiuis et emendatis codicibus. Et secundum tenuitatem sensus mei. interpretatus sum ut potui. &c. Ni fallor, prior ille iohannes est biographus ille circa an. 903. cujus Scripta sub uno conspectu ponit Fabricius Bibl. med. Lat. L. IX. p. 68. quamvis inter ea non censetur Nicolai Myrensis Vita; alter vero infimus iohannes presbyter et monachus erit is, cujus Librum de Miraculis m. vidit in Bibl.

Coenobii Benedictoburani Bern. Pezius hoc Prologi initio: Saepe hortatus es Nobilissime vir atque clarissime Consul Domine Pantalee me infirmum Johannem omnium Monachorum sacerdotumque ultimum, ut aliqua, quae in libris seu in historiis Graecorum inveniuntur, quae in latinis non sunt, in latinam converterem linguam. Nam narrato Nicolai beato obitu statim tria refert miracula, primum de Daemone sub feminae specie oleum ad Nicolai sepulcrum per Nautas mittente, alterum de liquore ex eius sepulcro non amplius manante, dum Magnentius quidam Episcopum Myrensem sede sua propulisset, tertium denique de Puerro a Saracenis capto parentibus suis restituto, quae omnia forsan in illo de Miraculis Libro habentur. Incipit Narratio ipsa: Sermo quidem fratres antiquitus scriptus atque firmatus qui usque ad nos ueraci relatione pertinuit. qualia fuerint insignia beatissimi patris nikolai &c. quae utrum graece etiamnum extet, ignoro; Bollandianorum etenim pendent opera interrupta, neque ad manum sunt Nic. Carm. Falconii Acta primigenia Thaumaturgi Nicolai edita Neap. 1751. f.

XI. fol. suo loco moto et signato 203. pro 179. p. 2. Incipit uita uel passio Sanctae herinis (Irenes) uirginis et martiris. celebratur quinta die intrante mense magio. Prologus ita infit: Johannes omnium monachorum sacerdotumque ultimus — Cum quadam die issem in domum nobilissimi uiri domini lupini. filij domini Sergij cognomento

mento comiti mauronis iustitiam
gratia. affuerunt et alij plures a-
malfitani. Incidit sermo de S. Ire-
ne: quomodo per tot annorum cur-
ricula cum esset ecclesia amalfitana
sub ditione et quasi in sinu
illius, neglexerunt inquirere et in-
uenire que fuit. Fuisse tamen a
Constantino M. dicatam ei primam
Ecclesiam CPoli, et a S. Marciano
nato ex romano genere et in
utraque lingua doctissimo aliam ae-
dificatam, ut puto quod non sit ei
similis in toto mundo. Sed quia sunt
aliqui qui dicunt. quoniam quomo-
do dicitur sancta sophia dei sapien-
tia. ita dicitur et sancta herini (ob-
serua sonum $\tau\eta$ ei et η) dei pax,
voluisse se breuiter ejus vitam et
finem ostendere. Est enim apud
grecos liber integer de passionibus
et miraculis eius. quem mihi inter-
pretari ac scribere impossibile est.
cum sim senex. Addit hunc Lib-
rum esse in monasterio Panagiotum,
in quo hospitaretur. Notatu
digniora haec sunt ad potentissi-
mae quondam Civitatis Amalfita-
nae res, quam quidem A β a ipsa
Irenes, quae sequuntur. Sergii et
Lupini Comitum mentio in Jul.
Caes. Capacii Hist. Neap. L. I. c.
13. Monachos Panagiotas dictos
putem ἀπο τῆς Παναγίας, quomo-
do Graeci Deiparam adpellant.
Actorum initium est: Beatissima igitur
christi martir herinis filia uni-
ca fuit licinij regis et licinię ma-
tris. Nata uero fuit in ciuitate ma-
gedon Penelopi prius a parentibus
uocata propter nimiam pulchritu-
dinem &c. Fabulis scatent. Grae-
ce et lat. a se in Bibl. Vaticana

reperita fuisse testantur Bollandiani
ad diem 5. Maji T. II. p. 4. De
Iohanne interprete dictum ad N.
praeced.

XII. fol. 184. Incipit uita uel
obitus Sancti iohannis patriarche
alexandrini. Cognomento beleymon.
(Ελεμμων, nobis Eleemosynarius)
Edita a leontio episcopo neapolitano
prouincie cipri. Celebratur die
duodecima mensis nouembrij. De
Leontii Iohanni συγγεγραυ Scriptis
agit Fr. Combefisus Bibl. PP.
Concionat. T. I. edit. Venet. 1749.
p. XXVII. Prologum ejus omisit
Librarius noster; habent uero A-
 β a SS. T. II. Ianuar. p. 498. una
cum Vita, sed e uersione Anastasii
Biblioth. quae nostram Seculo
integro praecedat, siquidem haec,
ut puto, e Iohannis supra memo-
rati calamo fluxit. Ejus initium:
Cum indignus ego (Leontius) ue-
nisssem aliquando in urbem alexan-
driam adorandi gratia beatorum
martirum ciri et iohannis reliquias
&c.

XIII. fol. 197. p. 2. Incipit uita
uel obitus Sancti Constantiani
confessoris et sociorum eius. Initi-
um: Igitur regentibus atque te-
nentibus childeberto ac lothario fra-
tre eius monarchiam regni franco-
rum &c. Venit cum Auito, Kari-
lepbo, Frambaldo, et aliis Con-
stantianus in Pagum cinomannicum
(Cenomanensem, du Maine) ac-
ceptoque ibi ab Innocente Ep. ha-
bitationis loco uico Gebron (Jau-
ron) eremiticam vitam cum cura
pastorali conjunxit multis prodi-
giis clarus, quae enarrat Autor
Vitae aevo subpar, ait enim de
Disci-

Discipulo, quem *Constantianus* a morte revocarat: qui multo post uiuens tempore hec eadem nobis retulit. Obiit et colitur Noster a *Cenomanensibus kal. Decembr.* Annum ignorat etiam *Cointius*, qui in *Annal. Eccl. Francor.* de eo agit T. I. Seculo VI. ad an. 532. et 560. citata *Vita nostra ms.* Ceterum ad *Corvaisieri Hist. des Evêques du Mans, Paris. 1648. 4.* ablegat.

XIII. fol. 199. p. 2. Incipit Sermo de inuentione corporis *Sancti Kataldi confessoris.* Initium: Regis quidem occultum ac alicuius principis secretum celare bonum est. Dei autem uirtutes atque magnalia reuelare et confiteri honorificum est. Vnde congruum est ut christicolis archana diuina proponantur. Varia congeffere *Bollandiani* ad diem 10. *Maji* de S. hoc Episcopo *Tarentino* T. II. p. 569. *Ferrarius* item ad 8. *Martii* in *Catal. SS. Ital.* p. 141. nihil tamen ad Nostrum. Annum is 1094. ponit, quo *Cataldus Atenulfo* monacho per quietem uisus Corpus suum extra urbem defossum *Tarento* inferri iussit. Metus erat a *Normannis* vicinis, ne illud raperent, et erat ex horum gente *Gilbertus* Praesul *Tarentinus.* Studiofior tamen ecclesiae, quam gentis suae Corpus cum celebritate Urbi intulit, non quidem ad Templum *B. V. M.* quo multi inclinabant, sed ad aedem sancti *Blusii M.* Adduntur 5. *Miracula*, quorum nullum apud Autores supracit. et Narratio de *Pictore ex genere Francorum*, qui *Cataldi* Ecclesiam

penicillo exornauit. Quod *Normannos* memorat Noster, non abfimile uero; sed pro *Gilberto* Ep. *Ughellus* in *Catal. Epp. Tarent. T. IX. Ital. sacr. edit. Venet. col. 127.* *Albertum* refert cum aliis. Atque hic finit insigne *Lectionarium*, quod, vel me tacente, quibus facile obseruauerit in Regno *Neapolitano* conscriptum fuisse. *Addam* tamen ea, quae candidus Scriptor sibi propiora hunc in modum perorat:

XIV. fol. 202. Cum ego. *Frater Marinus* monachus paruulus essem in domo patris mei in ciuitate que uocatur *sirrentum.* placuit deo cuius nutu et dispositione subsistunt ac gubernantur omnia que sunt in celo sursum. et in terra deorsum. ut ad habitum sancte religionis peruenirem. Tempore namque domni *iohannis abbatis* huius sancti *cenobij.* a domno *gregorio* monacho uero germano matris meae in hoc monasterium perductus sum et monachico habitu indutus. Fuit enim prebatus abbas ciuis *salernitanus* genere nobili ortus *loquela facundus*, in acquirendis rebus strenuus, corpore grandaeuus, omnibus honorabilis. Qui sedit in ordine abbatatus annos tres et menses octo. Post hec ab emulis apud regem *roggerium* accusatus eius iussu depositus est de suo officio suoque honore. Qui post hec paruo uiuens tempore apud *benuentum* defunctus est ibique sepultus. Successit autem in loco eius domnus *petronax* abbas ciuis *tranenensis.* Vir per omnia eruditus, etate senex, moribus maturus, sermone luculentissimus, omnique bonitate

te et dei sapientia repletus. Qui uixit in ordine abbatatus annos quatuor et menses quatuor. Quo defuncto surrexit in loco eius dominus marinus abbas ciuis neapolitanus, genere nobili ortus, uir uniuersa morum honestate preclarus, uirtute abstinentię predictus. uigilijs et orationibus semper intentus, cibo et potu parcissimus, in augmentandis rebus monasterij strenuissimus. Qui sedit in ordine abbatatus annos decem et septem mense uno dies duodecim. Cujus temporibus dedicata est magna ecclesia huius sancti monasterij officio episcoporum in honore sancte dei genitricis marie et beati uiti christi martiris. Anno dominice incarnationis M^o. C^o. L^o. VIII^o. die quarta decima mensis iunij indictione VII. Qui cum multo tempore ualida infirmitate cotidie cruciaretur, tandem uenit ad obitum. Tunc fecit conuocari ad se omnes fratres. Quo cum omnes adessent, cepit se ipsum humiliare et unicuique ueniam petere ostendens se omnibus culpabilem et rogans eos, ut sibi misericorditer indulgerent et ueniam tribuerent. Quod ita factum est, ut ipse petijt, orantibus omnibus pro eo et absolutionem ei facientibus. Ipse quoque similiter fecit omnibus orans pro eis et absoluens eos. Quo defuncto orta est contentio inter nos de sepultura eius, eo quod sepulchrum uacuum non esset, ubi sepeliri deberet, et nouum non erat qui faceret. Quod cum multum inde hesitando hoc et illud inter nos diceremus, dixit quidam frater: Leuemus ossa domni placidi et domni martini de eorum

sepultura et reponamus eum ibi. Quo dicto placuit omnibus et quiesuerunt a musitatione, deponentesque eum honorifice ut decebat sepeliuimus. Cumque sepultus esset, fratres tulerunt ossa prephatorum fratrum domni placidi uidelicet et domni martini, et subtus ipsum campanarium in honesto loco in honeste collocarunt. Factum est autem post hec, ut ipsi ambo pariter per uisionem apparerent cuidam leoni clerico qui eos de sua sepultura leuauerat, minantesque ei dicerent: cur ausus fuisti nos de nostra trahere habitatione? Et quod peius est de monasterio eicere? Quod si foras nos eiecissent sicut facere uolebant, monasterium omne destrueretur, et tu non euaderes celestem uindictam. Quod cum expectatus tremebundus narraret, ceperunt etiam et alij huius loci homines dicere similia se per uisionem uidisse. Quod nos statim ut audiuimus timore omnes perculsi sumus. Initoque consilio albis induti perreximus omnes ad eundem locum cum luminaribus et thimiamatibus, eleuantesque eos inde deportauimus in ecclesiam orantes et psallentes, omnesque etiam campanas sonantes cum magno gaudio et letitia reposuimus eos in ecclesia suffraganea in fundamento abside maioris a parte meridiei offerentes deo sacrificium pro eis. Et ibi manent usque in hodiernum diem. Fuerunt enim hi duo fratres bene religiosi in uita sua. Virtute abstinentie predicti humiles obedientes, bonisque operibus optime redimiti. Quorum uitam et operationem nos sequentes credimus

mus una cum ipsis in gloria dei gaudere et exultare cum omnibus Sanctis. Ipso adiuuante et concedente, qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat trinus et unus deus per omnia secula seculorum. Amen.

Prebatus uero dominus Marinus abbas, cum adhuc uiueret et magna infirmitate ut dictum est pessime cruciaretur, de qua etiam et mortuus est, et ego astarem coram eo seruiens ei, precepit mihi, quatenus explanationem canticum canticorum bone memorie domni Bernardi clareuallensis abbatis scriberem, quod deo annuente festinus adimplere studui. Nam cum ipse adhuc uiueret, totum illud scripsi et compleui. (Ut supra N. III.) Eo uero defuncto successit in loco eius dominus Henricus abbas, qui precepit iterum mihi, ut prebatum librum, quem dominus marinus abbas precessor eius inceperat, usque ad finem scribendo perducerem. Cuius iussu omniumque fratrum ammonitione atque exortatione sepiissime animatus adimplere cura-

ui, et usque ad finem domino cooperante, a quo omne bonum sumit initium et fine concluditur, perduxit. Anno uidelicet dominice incarnationis M^o. C^o. LXX^o. IIII^o. die prima mensis augusti. indictione septima. Rogo itaque uos in domino fratres, quatenus istum librum cotidie legere studeatis et legendo corde retineatis, et corde retinendo opere adimplere festinetis. Lectio enim diuina assidue meditata perducit monachum ad summa uirtutum culmina. Si quid uero legendi ineptum in eo inueneritis, non noxam sed mihi ueniam tribuat, Deumque omnipotentem pro me miserrimo obsecrare non negletis dicentes: Deus omnipotens propitius esto illi miserrimo peccatori Amen. Ego enim licet indignus gratias illi ago, laudo et benedico, qui me hucusque sua immensa bonitate adiuuare dignatus est. Sit illi laus, honor et gloria. Cuius imperium sine fine manet in perpetuum. Amen.

Queris Opus Cuius. Nomen Marinulus Huius.
Hec Ego Marinus Scripsi Non Peccore Pigrus.
Celica Pro Scriptis Marinulus Postulat Istis
Scripsit Hen (sic) Eminus Tribuit Quod Trinus Et Vnus.

Pulcre, bene, recte! Verum cur nomen Coenobii sui reticuit *Marinulus*, cui ordine praefuere Abbates *Johannes*, *Petronax*, *Marinus* et *Henricus* intra annos circiter 1149 — 74. Non indiligenter a me quaesitum detegit fortasse, cui ad manus fuerit *Aug. Lubini* Ord. Erem. S. Aug. *Abbatiarum*.

Italiae brevis Notitia edita *Romae* 1693.

CCCCXLII.

Codex membraneus lat. Sec. V. 93
XIII. Folior. 57. 4. min. sat bene
perscriptus, rubricis distinctus,
et, ut tot alii, ab *Joh. Fabro*
Vien.